


BIBLIOTEKA


Zakl. Nar. im. Ossolińskich

XVI 3104
















# MVSÆI IOVIANI

## IMAGINES

Artifice manu ad viuum ex-  
pressæ.

*Nec minore industria* THEOBALDI  
MULLERI Marpurgensis  
*Musis illustratæ.*



*Conventus Iaroslaviensis P. P. Minorum  
Reformatorum A. D. 1753.*



BASILEAE

Ex Officina Petri Pernæ

ANNO

CID ID LXXVII.

29.482



INSTITUTUM HUMANITATIS  
SOCIETAS REGIAE MAGISTRORUM



XVI. Qu. 3104

INSTITUTUM HUMANITATIS  
SOCIETAS REGIAE MAGISTRORUM  
P. O. N. A. M. S. C. I. O.  
C. I. S. I. E. N. S. I. A. N. S.

1812



ILLVSTRISSIMO HEROI  
LVDOVICO  
HASSORVM LANDGRAVIO

PRINCIPI SAPIENTISS.  
OPTIMO Q.



V M ad bene viuendum homo ceu  
mortalis quidam D E V S, creatus sit,  
Princeps Illust. bene autem viuendi ra-  
tio non nisi in recta actione consistat:  
rectæ autem actionis instrumenta qui-  
dem Diuitiæ, incitamenta verò & or-  
namenta Honores esse debeant: siue  
quotidiana vitæ exempla, siue historia-  
rum monumenta consideremus, virtutem semper & ubiq;  
tum à precedente Gloria excitatam, tum à subsequēte tanto  
magis fida, quanto minus expetenda, ornatam fuisse depre-  
hendemus. Porro cum Honoris, (quod à principe peripa-  
teticorum præclare dictum est) in alterius tantum arbitro  
positi boni varij sint gradus atque ordines, Statuæ profecto  
& Imagines ob id ipsum quod diu durant, præsentique in-  
spectione non memoriam tantum absentium reficere, sed  
et palingenesiam quandam opticam defunctorum represen-  
tare videtur, primum sibi locum vendicare merito possunt.  
Asinius Pollio, qui Romæ primus ex manubijs bibliotheca-  
m publicauit, primusque ingenia hominum rem publi-  
cam fecit, imagines etiam doctorum, qui iam fatis concessis-  
sent, & inter eas singulari gloria, vnus M. Varronis viuē-  
tis, (vt qui innumeris voluminibus de omni genere literarū  
optimè meritis esset, iisdemque clariss. virorum supra se-  
ptingentas imagines inseruisset, ea quam mortuis dederat  
gloria, viuis quoq; perfrueretur) ibidem spectandas pro-



posuit. T. Pomponium Atticum, Ciceronis amicum, edito de Imaginibus volumine virorum præclare meritorum memoriam, quantum in se erat, conseruare voluisse, historiæ tradunt. Cum igitur antiqui in hoc studium certatim incubuerint, vt vel dignitate vel virtute illustrium virorum non memoriam tantum, sed veras insuper effigies ad posteros transmitterent: ne hac quidem in parte nostrum illis cesserit seculum, quo inter omnes artes mechanicas maxime liberalis graphice forori sue typographice suam sic locat operam, vt & res præclare gestas magno cum fructu legere, & eorum, à quibus sunt gestæ, viuas imagines geminata cum voluptate cum memoriæ tum artis spectare queamus. Eius sane industriæ inter multa alia, hoc etiam in præsens specimen luculentiss. exhibere, & principi viro, eidemque non modo doctorum hominum patrono, sed & doctrina excellenti prædito, hæc virorum dignitate in primis (quam gloria literarum armorumque in suo quique genere conspicuam reddidere) illustrium, ex Musæo Iouiano ferè ad viuum expressas Imagines consecrare voluimus: vt Heroes illi sibi ipsis non magis de palingenesia hæc graphica & typographica, quam quod sub tam illustri patrocinio vitam receperint, (si quis horum sensus mortuis ineffet) merito congratulari possint. Patriæ summa nos omnia debere & pietas & philosophia docet. At cum patriæ salus in his potissimum, qui rerum potiuntur sit posita: nunc verò non tam ex Platonis, quam popularium communi voto, Hæsia nostra sub Ludouico, principe optimo, cui Agamemnonium illud, auctoritate Homeri tantopere celebratum, contigit,

*Βασιλεὺς τ' ἀγαθὸς κρείερός τ' αἰχμητής.*

beatissima existat: quam patriæ causa hæcenus in sinu foui lætitiâ, eandem tibi, fortunatæ patriæ laudatissimo Principi, hisce ingenij mei primitijs & contestari & comprobare volui. M. Antonini Pij Imp. sanctiss. felicissimeque memoriæ id spontè datum olim, quod Aureliano Imp. à Tacito  
 succes-



successore S. C. impetratum, vt quotquot boni patriæque amantes videri cuperent, imagines eius domi vel fictas vel saltem pictas haberent. At hisce commentarijs non Antoninos et Aurelianos, sed dignitatis excellentia fortassis inferiores, pietate certè superiores, exhibemus plurimas, breuiss. Elogijs vitæ & virtutis à nobis cohonestatas, vt qui orbem Christianum sui nominis fama compleuerunt, ijdem vel mortui suis imaginibus omnes omnium bibliothecas illustrarent. De Pollionis bibliotheca paulo antè diximus, in qua ex toto orbe doctorum hominum comportatas imagines spectandas exhibebat. At ex hac vel Iouiana bibliotheca, vel nostro etiã chartophylacio, Clarissimorū nostri seculi luminum atque columinum, in vniuersum orbem Christianum, siue celebritatem nominis eorundem, siue pectoris fidam spectemus industriam, nouæ veluti colonie poetice (si modo pictura est muta poesis) citra negotium atque sumptum deduci poterunt. Munus igitur, quod offerimus heroicum, à C. T. sereno vultu, menteque heroica excipi, & deuotè petimus, & obnixè rogamus: vt quemadmodum Cæsar Dictator Pompeij statuas erigendo suas stabiliuit, sic tu Principum Germanorum decus, Cattorum certè splendor atque gloria, sub tuo auspicio in lucem nunc productarum, & penè etiam insigni cum accessione producendarum Imaginum (inter quas diui etiam parentis tui primum obtinet locum) patrocínio, tuas ipse imagines seræ posteritati magis magisque commendes. D E V S Opt. Max. C. T. vitam & incolumitatem, mihi verò tuorū clientium vel postremo, luculento aliquo argumento deuotæ obseruantie meæ contestandæ occasionem præstare dignetur. Basileæ Idibus Martij,

L X X V I I.

C. T. deditissimus cliens

Theob. Mullerus Marpurgenfis.


):( 3







PHILIP HESSORVM RIN



PHILIP HESSORVM RIN  
PHILIP HESSORVM RIN  
PHILIP HESSORVM RIN  
PHILIP HESSORVM RIN  
PHILIP HESSORVM RIN

PHILIP HESSORVM RIN



PHILIP. HESSORVM PRIN.



*Insignes nostro amisit Germania seculo  
Tres belli & pacis conditione Duces,  
Quorum se primus vulpi similabat, at alter,  
Qui nempe innocuum raptat ouile, lupo,  
Magnanimo verum se tertius hicce Leoni,  
Subiunctas patrio fouit amore plagas.*



ROMVLVS.



*Romulus hac facie, Romam qui condidit urbem  
illam orbis dominam, conspiciendus erat:  
Quique rudes primus Mauortia bella Quirites  
Edocuit, ante sed quoque pacis opus.  
Nil mirum Latios tanta ad fastigia fasces  
Conscendisse, Deo cum satus author erat.*



NUMA POMPILIUS.



*Vix sublatus erat caeli in cometa Quirinus,  
Regia Pompilius cum Numa sceptrum capit.  
Hic animos populi violento Marte feroces  
Mitigat, inuicta religione Deum,  
Templa quibus Paris molitur fulta columnis.  
Inque sacerdotum diuidit illa choros.*



ARTOXERES.



Quantum animi Natura bonis Persam auxerat istum,  
 Tantam etiam vitij imbuit in de suis:  
 Nam licet in pretiosa foret donaria largus,  
 Et vigili hostiles funderet arte manus:  
 At quia natabus stuprum infert ipse duabus,  
 Et gnatum interimit, laus prius ampla perit.



ALEXANDER MAGNVS.



*Si qua triumphali lauro ornari meruit frons,  
Eius Alexandrum iure coronat honos.  
Inuictis qui tot gentes compescuit armis,  
Compulit atq; suo subdere colla iugo.  
Grandia vicissent ipsum nisi pocula, maior  
In toto princeps non Oriente fuit.*



PYRRHVS EPIROTARVM REX.



*Epiri sum Rex ego Pyrrhus, nobilis heros,  
Prelia siue solo, siue obeunda salo:  
Qui docui primus forti circumdare vallo  
Castra, acies & quo quaq, locanda modo.  
At me, Romulidum quem horrebant sepè cohortes,  
Fæminea occidit tegula iacta manu.*



SCIPIO MAIOR  
ANNIBAL



Roma caput mundi cunctos cum sperneret hostes,  
Pœnorum extimuit non semel ipsa Ducem:  
Et licet horrenda nocuisset strage, colosso  
Nil minus est hostem deuenerata suum.  
At tu, quæ meritum de te præstantibus ausis  
Mittis in exilium, patria probra refers.



SCIPIO MAIOR.



*Scipio ab ingratis eadem fert premia Maior  
Ciuiibus, Hannibalem vicerit ipse licet  
Ausoniae terrorem urbis, clademq; Quiritum,  
Et simul armata Punica regna manu.  
Linternum exul abit, praedones illi, ubi plus quam  
Seruata. Vrbs dubijs rebus, honoris habent.*



ATHILA REX HVNNORVM.



Quis non ex oculis conieceret protinus istis,  
Quid dignum hic magna laude patrarit homo?  
Cum popularetur validas cum ciuibus vrbes,  
Italia nimias atque referret opes?  
Vnde Dei sese flagrum dicebat. Inundans  
Nocte suo thalamum sanguine sponsus obit.



# TOTILAS REX GOTHOR.



*Corporis ut forma membrorum & robore prestans,  
Dotibus hic Totilas, sic quoque, mentis erat.  
Fortior ut quoties aduersos vinceret hostes,  
Innata his veniam pro pietate daret.  
Tandem à semiuiro Nar se est dare terga coactus,  
Victor ubi, toties qui fuit antiè, perit.*



CAROLVS MAGNVS.



Carolus ad viuum hic expressus cernitur ille,  
Cui virtus Magni nomen habere dedit.  
Vicit hic Insabres, Aquitanos, Saxonas armis,  
Atque iisdem vires fregit Iberitias.  
Quid quod & ingenuas fouit tot sumptibus artes?  
Omnibus exemplum hoc sit modo Principibus.



GOTIFREDVS BOLIONIVS.



Gotfridus Solymorum urbem dum milite cingit,  
Mœnia conscendit primus, eumque capit:  
Quo meruit regale suis diadema capillis,  
Quod gestare isto noluit ipse loco:  
Non enim fas esse hominem ferre aurea, nosse  
Serta tulisset ubi spinea Christus, ait.



SALADINVS SVLTHANVS.



*Quae Gotfride tuis devicta vrbs cesserat armis,  
Sulthani rursus subditur imperio.  
Artibus hic belli cunctis instructus, & acri  
Preditus ingenio, premia militibus  
Grandia donabat gnauis, virtute pararet  
Vt tot regna, apices quot caput eius habet.*



FRIDERICVS BARBAROSSA.



*Cum fuit imperij fasces Fridericus adeptus,  
Latè eius bellis amplificauit opes:  
Insubres verò antè alios frenauit. & ipsum  
Vrsit Pontificem dedere terga fuga:  
Cuius dat pœnas facti, vt ferat oscula plantis  
Illius. Armenia dum lauat amne cadit.*



FARINATA VBERTVS FLOR.



*Acoliden plenis extollit Gracia buccis,  
Quod belli varios nouerit ipse dolos:  
Quem tamen ex merito Florentia conferat illi,  
Hic est siue animos, seu stratagemas petas,  
Fortia Guelphorum qui sapius agmina fudit,  
Sed vitam, heu tandem, liquit in exilio.*

ACTIO



ACTIOLINVS TYRANNVS.



*Tertius in Latias Ottho: cum tenderet oras,  
Subderet illarum vt regna beata sibi,  
Actiolinus hic in vitales nascitur auras,  
Et pedibus miles, miles & acer equo.  
Omnibus ille patri virtutibus equiparandus,  
Sanguine se humano ni maculasset, erat.*



SARRA C O L U M N A .



Hostili ut patriam defenderet impete Sarra,  
 Sisteret in tuto rursus eamque statu,  
 Ob quod in exilio discrimina multa subibat,  
 Dum captus remos ducere iussus erat,  
 Pontificem, exutus vinclis, qui caussa tumultus  
 Illius fuerat, deditioe capit.



VGVCCIO FAGIOLANVS.



Obscuro emergens hic primùm & paupere tecto  
 Urbis Pisanae est vectus ad imperium,  
 A teneris etenim Mauortia castra secutus  
 Militia dederat splendida signa sua.  
 Lubrica sustulerat qua ipsum Fortuna, vicissim  
 Praecipitem ex alto sed malefida dedit.



CASTRUCCIUS CASTRACANIS.



*Inſtipor hunc genuit Lucana ciuis in vrbe,  
Filius, at rigida nomina militie  
Cum daret à puero, meruit præſtantibus auſis  
Et belli ducis & Principis imperium.  
Laus belli, dudum quam amiſerat itala tellus,  
Aſpice antiquum eſt hoc reuocata decus.*



CANIS SCALIGER.



Scaliger hic dominus Verona cernitur, hostes  
Qui forti stravit pectore, quique manu,  
Qui profugis fuit arx, columnen, spes, portus, asylum,  
Sive illi celebres Marte vel Arte forent.  
Scilicet hoc meruit, toto ut cantetur in orbe,  
Ipsius & fugiat posthuma fama rogam.



ROBERTVS REX NEAPOL



Sollerti in ingenio, doctaque erat arte Robertus  
Excellens sacra religionis amans,  
Sua Gibellina contra turba agmina sanctos  
Tutatus magna est qui pietate patres,  
Et Musas tanto studio veneratus & harum  
Cultores, regno ferret ut ante suo.



OTHO ARCHIEPISCOPVS.



Promptus ut antè aras Divus dare thuris honores,  
Sic etiam ad belli munia promptus erat  
Præsul hic, idcirco sanctæ ipsi dextera signo  
Est crucis, at gladio leua notata manus.  
Et licet ærumnas pateretur saepe, Deorum  
Committebat eas fortiter arbitrio.



MATTHÆVS MAGNVS.



*Consilio Magnus plus quàm furialibus armis  
Præstitit, haud illi Mars quoniam æquus eras.  
Et licet inuictum vitio se siseret omni,  
Cedere vel soli cogitur inuidia.  
Non meritum sacris Romanus Præsul abegit.  
At cæli sedem non negat ergo D E V S.*



GALEACIVS PRIMVS.



*Guelphorum hic acies campo dispergit aperto,  
Vexilla ipsorum cum Ducibusq, capit.  
Includi vinculis Ludouicus Bauarus illum,  
Dum prandet, tetrus carceribusq, iubet,  
Detentus paucis illic cum mensibus esset,  
Eximitur, pestis tollitur atque luc.*



ACTIVS.



*Ceu pater excellens fuerat Galeacius heros,  
 Filius hunc a quo sic studet ire gradu  
 ACTIVS, hostiles unà cum patre cohortes  
 Compulit in celerem qui dare terga fugam.  
 Splendida qui celsis struxitq; palatia pinnis.  
 Quem miserum tandem dira podagra necat.*





Imperij nondun fasces Lucbinus adeptus  
 Ipse sua fecit prelia multa manu:  
 Pòst ea Legatis commisit : vulnera nàmque  
 Multa priùs caso corpore passus erat.  
 Crudelis misero coniux aconita propinans  
 Longo agrum morbo liborat antiè diem.



IOANNES ARCHIEPISCO-  
pus Mediolanensis.



*Erepto satis Luchino hic fratre profani.  
Et sacri iuris munia gnavus obit,  
Vt pius & Clemens mereretur dicier heros,  
Et patria à populo patris honore coli,  
Sique ipsum bello quis fortè lacefferet hostis,  
Victrices eius sensit ubique manus.*



GALEACIVS SECVNDVS.



*Si verum est, pulchro quod corpore pulchrior hospes  
Mens habitat vulgo dotibus aucta bonis,  
Illius exemplar verbi Galeacius hic est,  
Qui patrios læta pace tuetur agros,  
Pieris angusta dicat quique atria Musis,  
Ticinus liquidas hic ubi voluit aquas.*



BARNABAS.



*Hic se venatu sic exercebat & armis,  
 Ut misera premeret conditione suos,  
 Ut ceu pastor oves timidas qui glubit iniquus,  
 Ipsam cum lana detraheretq; cutem.  
 Quos vite casses fratris clam struxerat, ipse  
 Incidit, o meritis premia digna suis.*



IOANNES GALEACIUS.



*Viribus Insubrum Dux hic & acumine mentis  
Ut bello prastans, sic quoque pace fuit.  
At quoniam fuerat toties discrimina Martis  
Expertus, ducibus cura sit inde suis.  
Ista iubet, Latij, ni vitam fata negassent,  
Essent ipsius regna subacta iugo.*



IOANNES MARIA.



*Crueli imperio gerit hic sua sceptrā tyrannus,  
 In sibi commissum seuit & vsque gregem,  
 Ut daret insontes canibus fontesque vorandos,  
 Non impunitum crimen at hocce tulit,  
 Namque cohors ipsum populi commota trucidat,  
 Luget ubi meretrix non nisi turpis eum.*



PHILIPPVS VICECOMES.



*Penè inimicorum insidijs & fraude Philippus  
Perdiderat patriæ quas ditionis opes,  
Vindicat auxilio sponsæ, & certamine reges  
Quos uno victor ceperat ipse duos,  
Exutos iterum vinculis dimittit amicè,  
Subiectis ad eò parcere cura fuit.*



IOANNES VITELLIVS COR-  
netanus Patriarcha & Cardinalis.



*Si pede, quo insiteras, voluisses pergere, ceu cum  
Ad tantos primùm subucherere gradus,  
Nullus erat, qui te superaret fortibus armis,  
Non, qui consilio vinceret, vllus erat.  
At leuis ambitio, qua te fastigia Papa  
Affectare mouet, summa pericla creat.*



TAMERLANES SCYTHAR. IMP.



*Si quando validas dux hic circumdaret urbes,  
Dedere se has primo papilione die  
Extento albenti monuit, qui nempè salutis  
Atque animi signum propitiartis erat.  
Post rubro, indicium fundendi ut sanguinis esset:  
Tandem atro, hausturus cuncta quod igne foret.*



BAIAZETES I. TVRCARVM  
Imperator.



Ceu tonitru & fulmen toti orbi barbarus ille,  
Quod popularetur regna tot, horror erat.  
Et quia germanum fuit ausus mittere letho,  
Digna poena illud tantum est secuta nefas,  
A Tamerlane vi caperetur, cui sua deinceps  
Inscendenti in equum terga premenda daret.



CELEBINVS TVRCAR. IMP.



Cum patre Baiazate duo se in prelia fratres  
 Contulerant, quorum Mustapha vincla subit,  
 At hinc elapsus per fulgida tela, manipulos  
 Dispersos iterum cogit ubique suos.  
 Quis regni vires reficit fortia, repellit  
 Et Graiū turmas Teutonidumq; manu.



ALFONSVS NEAPOLITA  
IOANNES AVCVTHVS BRITAN.



Anglorum egressus patrius Aucuthus ab oris  
Italiae primùm climata letus adit,  
Militie fuerat quascunque edoctus & artes,  
Ausoniae exeruit non semel ipse plaga,  
Vt donaretur statua defunctus equestri,  
Debuit nam virtus premia semper habet.



ALBERICVS BALBIANVS.



*Delitijs nimium indulgens terra Itala, priscis  
Nomine militia degenerarat auis,  
Vt tutaretur se externo milite tantum,  
Quem procul à Latys exigit iste plagis,  
Ferratisq; uti docet armis, tempore nostro  
Quae penetrat sclopi missus ab are globus.*





Et si fraterno dudum essent fœdere iuncti  
 Præstantes belli tibi cognitione duces:  
 Ambitione tamen diducti dein velut hostes  
 Oderunt, quia se Braccius antetulit.  
 Sfortia limoso subsidens vortice tandem  
 Absorptus rapidis exanimatur aquis.





Grandibus obieci me belli sapè periclis,  
 Quò me animi ferret prona libido mei,  
 Non acies ferri, non altis mœnia fossis  
 Conatus unquam detinuerè meos:  
 Hoc mea Pontifici testatum dextera fecit,  
 Quare me sacris arcei ubique suis.





*Filius agricola Franciscus paupere natus,  
Persuasus verbis militis arma gerit,  
Hinc ad maiores belli conscendit honores,  
Supremi auferret munus vt inde ducis.  
Lubrica qua solita fors nil de fraude remittit  
Præcipitem ex alto rursus ad ima dedit.*





Dux belli, emergens humili de stirpe parentum,  
 A Venetis lectus Gattamelata fuit,  
 Quod sua consilio magis quam feralibus armis  
 Bella gubernaret, non dubiaque fide.  
 Hinc fato ereptus statua decoratur equestri,  
 Stat qua sublimi conspiciendus e quo.



# COSMVS MEDICES.



*Virtutem liuor sectatur, corpus vt umbra,  
Et quacunq; potest mole grauare, grauat.  
In te quod velut in speculo Medicæ videre est,  
Qui patrio es insons iussus abire solo,  
Quo tamen exilio postquam reuocaris, vt antiè,  
Publica res cura est & tibi docta cohors.*

ALFON.



ALFONSVS NEAPOLITA  
nus Rex.



*Alfonsus magnis defungitur iste periculis  
Antè sui regni quàm diadema capit,  
At fors, quæ fuerat multos infesta per annos  
Dat victas tandem victa pudore manus.  
Continuis etsi bellis exercitus esset,  
Aonias coluit non minus ipse DEAS.*



FRANCISCVS SFORTIA.



*Sfortia tot oculi subijt tantosque labores,  
 Immortale sit his nomen vt emeritus,  
 Insu-  
 brum & fuerit scepro cum laude potitus;  
 Forti vbi rettulerat multa trophæa manu.  
 Quod neglexisset Musarum iunior artes,  
 Sape fuit questus, nec minus h. u. c. l. u. t.*



AMVRATHES II. TVRCARVM  
Imperator.



*Inter facta, quibus princeps hic claruit, nana est,  
Quod fastis notum sit magis historicis,  
Horrida quam strages Varnensibus edita campis,  
Vngaria, qua Rex Marte peremptus obit.  
Peritæsus regni se sceptris abdicat, ad qua  
Mox, hostem armari cum videt, inde redit.*



GEORGIUS CASTRIOTVS  
Scanderbechus, Epiri princeps.



*Epiri princeps, hic Scanderbechius heros  
Turcarum & clades pernitiosa fuit.  
Post sed ubi moritur, redeunt in regna feroces  
Rapta sibi Turca, corpus & effodiunt,  
Ossa inter sese in partes & secta minutas,  
Ac si vis insit bellica, distribuunt.*



BARTHOLOMEVS COLEONVS.



Ore velut Coleo facies, decorus honesta.  
Sic belli celebris cognitione fuit.  
Militia Venetam bis denos presuit annos,  
Reppulit & Latio Gallica signa solo,  
Marmoreo ipsius post mortem ut grata colosse  
Patria sui cinem deuenerata suum.



VITELLICIVS VITELL  
GALEACIVS SFORTIA.



*Omni genas meruit laudes Galeacius ille  
Seu belli fluerent tempora, siue toge,  
Fæmineis nisi quod, que frangunt fortia sæpe  
Pectora, se nimium dederet ille cebris,  
A proprijs demum famulis transfossus, obiit.  
Que tamen haud cades mansit inulta diu.*

C A R O



VITELLIVS VITELLIVS  
 MAGNVS CAYTHBEIVS  
 Memphiticus Sulthanus.



*Mancipio natus Riphais MACNVS in oris  
 Lata Aegyptiaci fugit ad arua soli,  
 Seruilesq; habitus exutus vixit, ut ipsi  
 Memphitici munus Principis obtigerit,  
 Quo tanto functus studio est, ut redderet illud  
 Auctius, ac hostes pelleret inde feros.*



MATTHIAS CORVINVS  
Rex Pannoniæ.



Pannonij prius est quam sceptri munus adeptus  
Corvinus, dudum carceribus latuit.  
Hostis in opprobrium sed, ubi est eductus in auras,  
Rex belli clarus, pacis & arte fuit.  
Sic quanto Aonias complexus amore sorores  
Direpta heu Bada bibliotheca docet.



CAROLVS VIII. FRANCO-  
rum Rex.



*Dum ruit in Latias armatus Carolus oras,  
Pontifici terror principibusq; fuit,  
Egregius belli dux, sed qui deditus esset  
Luxuria nimium famineoq; gregi,  
Vnde suis sese sic artubus enervauit,  
Vt sphaera ludens deliquio occiderit.*



CAMILLVS VITELLIVS.



Chaonius fama est, Pyrrhus post Martia gesta  
 Quod sit faeminea mortuus ille manu,  
 Sustulit & te post heroica facta Camille  
 Faeminea ex alto tegula iacta manu,  
 Dum cupis apposita muros conscendere scala,  
 Dum laudem hanc alijs praripuisse cupis.

C A R O



CAROLVS BVRGVNDIÆ DVX.



*Carolus, Heluetijs, quos irritauerat, Audax  
Ter belli victus turbine succubuit,  
Exutus primò castris opibusq; per amplis  
Martia compulsus signa referre fuit,  
Inde viros animo amisit manibusq; valentes,  
Pòst vitam medys liquit in agminibus.*





*Diuitijs, forma, virtute & nobilis omni  
Excellens princeps hic Medicus erat,  
Hoc indignantes Medicei nominis hostes,  
(Osores virtus nam proba semper habet)  
Incautum ferro sternunt, misereq; trucidant  
Quod tamen ira fuit numinis ultra nefas.*



MAHOMETES II. TURCARUM  
Imperator.



Maior Alexandri princeps à tempore nullus  
 Tam bello & felix hoc Mahomete fuit,  
 Qui plures populos, qui plures vicerit vrbes,  
 Qui tot regna suo subdideritq; iugo.  
 Debellare Rhodum mens tandem inceserat ipse.  
 Mature at tantum Dij vetuere nefas.



FEDERICVS FELTRIVS VR-  
bini Dux.



*Annibalem historici memorant hoc nomine fasti,  
Quod captare duces nouerit insidijs,  
Feltrius hanc laudem Federicus praecepit illi:  
Sed nec qui expedit fortius arma fuit,  
Qui tantum & Musis fauit sic nempè meretur,  
Ambiat ipsius ut bina corona caput.*



VITELLIVS VITELLIVS.



*Oppressus saxo, quod femina iecerat alta  
Desuper è turri, quando Camillus obit,  
Hunc post se genatum linquit, qui fortibus ausis  
Ipsius insistsens clara trophæa tulit,  
Impigram Venetis operam dum nauat, & urbis  
Romana belli tempore Praesulibus.*



VITELLOCIVS VITELLIVS.



Pompeij monitis si morem stulte Vitelli  
Gessisses, Pharij, quae dabat, arua soli  
Cum fugeret: non fidendum nempe esse Tyrannos,  
Tutum ad eos nunquam quando pateret iter,  
Non laqueo fauces innecti perfidus arcto  
Caesar curasset Borgius ille tuas.





*Sic belli intentus simulachris ille ciendis,  
 Diane studijs, sic Venerisq, fuit,  
 Vt sese abstraheret nimium civilibus, ipsum  
 Quis pater inniti iusserat, officijs  
 A patrijs annos bis quinos exulat oris,  
 Et Lyri tandem flumine mersus obit.*



CHRISTOPHORVS COLUMBVS.



*Ignotos populos atque abdita regna Columbus  
Et classe extremos repperit Antipodas,  
Quos sacra instituit mox religione, remotis  
Quos venerabantur numina vana, Dijs.  
Scilicet hoc meruit plus illo tempore laudis  
Belligeri quàm per Martia gesta duces.*



ASCANIUS SFORTIA CARD.



Ascanius Roma sacri pars magna Senatus  
Se vite gessit tempus in omne sua,  
Vt, si non auro corruptus vota dedisset  
Borgo, fieret Praesul ut Ausonius,  
Nequaquam carpi meruisset, nec Venetorum  
Includi longo tempore carceribus.



LVDOVICVS SFORTIA ME  
diolanensium princeps.



*Etsi consilio ante alios & pectoris astu  
Sfortia clareres ô Ludovice duces,  
Bella quibus sollers ingentia nempè gerebas,  
Niliuere cui te tamen vsque doli,  
Detentus Galli nam vinculis tempore longo,  
Ictero tandem debilitatus obis.*



CÆSAR BORGIA VALEN-  
tinorum Dux.



*Cum pater ad summos Roma esset vectus honores  
Borgiai, toto Prasul' ut orbe foret.  
Purpurei donat gnato huic insigne galeri,  
Quod tamen hoc tantum respuit ille decus,  
Cum fer a bella sequi mallet Veneremq;, nefandam,  
Et fratrem è medio tolleret inde suum.*



NICOLAUS VRSINVS PE-  
tiliani Comes.



*Italiam bello cum Teuto, Gallus, Iberus  
Impeteret, Latios & penetraret agros,  
Vrsinus contra stans imperterritus hostes  
Inuicta patriam protegit vsque manu,  
Prostratam heroo sic pectore restituit rem  
Illius ut tutos redderet inde focos.*



FRANCISCVS ALIDOSIVS  
Cardinalis Papiensis.



*Feltrius Herculeo Franciscum hunc confodit ictu,  
Nempè affectaret quòd patria imperium,  
Et se pontificis cum Gallo opponeret armis,  
Ipsi qui ad nutus antè benignus erat,  
Idque ideo, corpus quòd prostituisset, & isto  
Ipsam lenisset non semel obsequio.*



BAIAZETH. II. TVRCARVM  
Imperator.



*Dum Baiazethes peregrinas multa per oras  
Bella gerit, patitur sua pericla domi.  
Imperio proles namque ipsum expellit auito,  
Adiicit & sceleri huic grandius inde scelus,  
Illita lethiferis cum miscens pocula succis  
Illum sub Stygias effera mittit aquas.*





Heluetios, qui vi magna irrupere per agros  
 In subrum, forti pectore sustinuit  
 In patriasq; ipsos Foisseius reppulit oras:  
 Hispanos campis atque Rhauenna tuis  
 Contudit, ast nimio feruens ardore repulsos  
 Dum sequitur, gladio pectora fossus obit.



LVDOVICVS GALLIÆ REX.



*Ausonias multis Ludouicus cladibus vrbes,  
 Et simili afficeret cum ratione Duces,  
 Querarò fida est, se tandem auertit ab ipso  
 Sors, hostes pacem poscat vt inde suos,  
 Dum senior tenera nimis indulgetq, puella,  
 Aceclerat vita tristia fara sua.*



CONSALVVS FERDINANDVS  
Magnus Dux.



*Consilijs ita Consalvus praestabat & armis,  
Urbs quod testatum est Parthenopaea tibi,  
Rex auro ut Ludouicus ei fulgente cathenam  
Virtute eximia concitus inyceret.  
Ardua sic etenim laudes vel in hoste meretur,  
Et merito virtus debet honore coli.*



BARTHOLOMÆVS LIVIANVS.



Vitales infans hic ut prodiret in auras,  
Defuncta exectus de genetrice fuit,  
Quàm se prestiterit fortem pugnacibus armis,  
Id satis Hadriaci comperiere patres,  
Germanas Latio dum pellit ab orbe phalanges,  
Insubrumq;, arcet sinibus Heluettios.



CAMPSO GAURVS ÆGYPTI  
Syriæque Sulthanus.



*Ancipitem qui fortunam sine sine fatigat,  
Illius haud facili percipit aure preces,  
Spernit & ipsius qui nutus, hunc beat ultro.  
Quod nimis expertus Gaurius ille fuit,  
Qui media ad summos de plebe euectus honores  
Ægypti, princeps rursus ad ima datur.*



THOMVMBEIVS VLTIMVS  
Ægypti Syriæq; Sulthanus.



Non fuit Eo felicior orbe tyrannus,  
Nec magis Eo rex fuit orbe miser,  
Quàm Thomumbeius, qui indutus vestibus auro  
Contextis, nitidis & diadema comis  
A Scythico tandem captiuus ducitur hoste,  
Suspensio frangi qui iubet inde gulam.



IACOBVS TRIVVLTIVS.



Hic est, Sfortiaden Ludouicum fortibus armis  
Qui patrio Insabrum depulit imperio,  
Liligero adduxit Regi captumq; Magistri  
Vnde equitum meruit scilicet officium,  
Bellaq; praeterea varijs confecit in oris,  
Quas Tunto, Gallus, quas Italusue colit.



FRANCISCVS GONZAGA  
Mantuanus princeps.



*Erastitit hic operam Venetis Gonzaga fidelem,  
Dux quorum bellis pluribus ipse fuit,  
Tarrensi praesertim acie, Gallosq; feroces  
Cum pepulit regno Parthenopea tuo,  
Deficit ad quorum partes, iterumq; prehensus  
Vincla subit Venetum, non diuturna tamen.*



TRISTANVS ACVNIVS  
Lusitanus.



Eoas peragrans Tristanus Acunius oras  
Aduersis retrò pellitur iste nothis,  
Ignotos populos reperiret ut amplaq; regna,  
Subdidit imperio que Lusitane tuo,  
Vnde redit ducens elephantum, muneribus quem  
Cum largis sancto donat habere patri.



MAXIMILIANVS CÆSAR.



*Teutonicas quantum memorandis iuuerit armis,  
Et pacis quantum iuuerit arte plagas  
Maximus Imperij æternum decus Aemilianus,  
Fama vel ad geminos prodidit vsque polos.  
Pannonij, Turcæ, Hesperij fortesq; Bohemi  
Ipsius inuictas comperiere manus.*



IO. PAVLVS BALEONVS



Corporis excellens donis Baleonvs & acri  
Eloquio, & belli laudibus ille fuit,  
Ipsius ut mores laudarent tempore pacis  
Multi, nec castris carperet vllus eos,  
Vindicta si non vixisset amantior a quo.  
Incestuq; suos dedecorasset avos.



MALATESTA BALEONVS.



*Scuitiam Malatesta patris Veniremq; nefandam  
Detestans, aliud, quam pater, intrat iter.  
A Venetis inde ad celsos euectus honores  
Ob meritas laudes militiae ipse fuit.  
Strenuus hostili incursum patriamq; tuetur,  
Eius adhuc laudes ut studiosa canat.*



HORATIVVS BALEONVS.



*Aufonijs pariter celebratur Horatius oris,  
Quod dederit patria clara tropheis suis,  
Dum valida domuit nempe obsidione Salernum,  
Et Florentinis Dux fuit agminibus.  
Parthenopes operam dum Gallis nauat ad urbem,  
Traiectus missa glandis ab aere cadit.*



SELYMVS TVRCARVM IMP.



*Sunt duo præcipuè, quibus hic sua nomina fame  
Commendat, Scythicum quis cumulatq; decus,  
Quòd Thomumbeium, quod Campsonemq; subactos  
Suspendit laqueo scilicet ille Duces.  
Quòd verò miscet grandævo aconita parenti,  
Barbarica cæsit de feritate nihil.*



MATTHAEVS SCHINERVS  
Cardinalis Sedunensis.



Matthaeus Laticus fuit ablegatus in oras,  
Excoleret docta pectus ut arte suam,  
Inde reuersus ubi facundo ciuibus ore  
Percepta gnauam praestitit artis opem,  
Dum dirimit lites, pro Romanoq; feroces  
Pontifice, in Gallos, dum ciet Heluetios.



PROSPER COLUMNA.



*Romana Dux militiæ fuit iste supremus  
PROSPER, & illius splendida signa dedit,  
Et quocunque modo subiectis parcere posset,  
Clementis studuit nomen habere ducis.  
Gallorum exemptus vinculis à Cesare Carlo  
Imperiÿ illustres promeruit titulos.*



HYSMAEL SOPHVS PERSIA-  
rum Rex.



*Gloria Persarum. Regis se illius in omnes  
Vsq; adeo fudit commemorata plagis,  
Barbarus obliquo vt motus liuore Selymus  
Bello ipsum impeteret, verteret inq; fugam.  
Ast hic dum reparat se rex, se proripit ille  
Formidans iterum conseruisse manus.*



ANTONIVS GRIMANVS VE  
netus princeps.



*Omnigenos Venetum Princeps Grimanus honores  
Contigit, ipsius quod bene nota fides,  
Et licet offerret se magnis saepe periculis  
Propatria, quibus haec prorsus iniqua fuit:  
Exul abit, lato reuocatur at inde triumpho,  
Sic premitur Virtus, non tamen opprimitur.*



FRANCISCVS FERDINAN-  
 dus Piscarius.



Qui Franciscæ tuos hac spectat imagine vultus,  
 Obtutusq; ipsum nil iuuat iste tuus,  
 Magnanimi certè nomen vix conuenit illi,  
 Vt taceam, in fastis si tua gesta legit.  
 Nam cessere tibi magni Regesq; Ducesq;  
 Oppida, castra, tuas nam timuere manus.



PANDVLPHVVS PETRVCCIVS  
Senensium Tyrannus.



*Quod si homines possent contenti viuere paruo,  
Atque illis, presens qua daret hora, frui,  
Multas sepe vices vitarent, multa pericla,  
In qua, dum tollunt cornua nempe, ruunt.  
Id si voluisses Petrucci, teq; tuosq;  
Non obiecisses tot, furiose, malis.*

P E T R V S



PETRVS SODERINVS FLO-  
rentinorum Vexillifer-



Officio functus quod habet Florentia, summo  
Hic Vexilliferi Petrus honore fuit.  
Vrbibus hic patriam deuictis pluribus auxit,  
Atque illas huius subdidit imperio.  
Floruit hoc saluo Florentia salua: sed ipso  
E patrijs pulso, concidit agra plagis.



ISABELLA ARAGONIA.



*Insignes Regum matres aut Regibus ortas,  
Heroas laudet, qui volat, atque nurus,  
Non est, que casus, tot que discrimina rerum  
Vsque adeo inuicto pectore sustulerit.  
Si modo, que sexum poscunt, fera bella, virilem  
Liquisset, patrijs nec nocuisset agris.*



FRANCISCVS ISABELLÆ FILIVS.



*Sfortiadum ut nomen radicitus omne periret,  
Heredes nulli stirpe ab eaq̄ forent,  
Vita Sacerdotis fuit huic incunda coacto,  
Hic ubi per cultos Mosula tendit agros,  
Dumq̄, fer as illic nemorum in secessibus urget,  
Lapsus equo mortis tristia fata subit.*



LVDOVICVS PANNONIÆ  
atque Bohemiæ Rex.



Dum Scythicos propius terdit Ludouicus in hostes,  
Quis impar fuerat viribus ipse suis,  
Nam contra hos insum turba heu malefida suorum  
Impulerat, medys liquerat inque malis,  
Mergitur, aufugiens è cæde, palustribus undis,  
Prorsus ubi nullo tectus honore iaces.



IOANNES MEDICES FOR-  
tissimus Dux.



Quam belli primis studiosus hic esset ab annis,  
Cernere perfacili cognitione fuit.  
Gallorum infestas Laty quando orbe cohortes,  
Insubrum Hispanos & regione fugat.  
Sed dum Romulea remorari Teutonas Vrbe  
Nititur, ecce globi laesus ab aere perit.



CAROLVS BORBONIVS.



*Militie ad summos Virtute ascendit honores  
Carolus in Regno Gallia diua tuo,  
Abnuat at Regis thalami dum fœdera matri,  
Inuisus Gallis aufugit exul agris,  
Induperatori Romano & militat, urbem  
Hinc Latiam cingens obsidione cadit*



ANTONIVS LEVA HISP.  
GEORGIUS FRONSPERGIUS.



*Ad liquidas Ticini undas Fronspergius heros  
Germanos cauta circuit arte greges  
Nauantes operam Gallis, qui praelia nempe  
Ter quina inuicta fecerat ante manu,  
Postremoq; mouet dum Sancto ad moenia Romae  
Arma Patri, morbo debilitatus obit.*



PETRVS NAVARRVS. MD



*Vi possis astu potius quam viribus hostem  
Vincere, castra nouis cingere & argeribus,  
Moliri fossis ima & tellure profundis  
Mœnia ut ingenti diruta mole ruant,  
Inclutus hic docuit belli tecta arte Navarra,  
Quod Lybici norant regna superba soli.*

MAXI.



MAXIMILIANVS SFORTIA.



*Sfortiades primò incultis sic moribus ille,  
sic fuit atque rudi praeclusus ingenio,  
Sordibus ut putido sedaret corpore vestes,  
Stultitia praebens turpia signa sua.  
Celtarum at tandem fudit semel ipse phalanges,  
A quibus & victor magna trophæa tulit.*



POMPEIUS COLUMNA CARD.



*In castris miles Pompeius, atq. Sacerdos  
Strenuus ante aras ille Columna fuit,  
Sed qui turbaret patrie per bella quietem,  
Pontificem indignis luderet atque dolis,  
Parthenopes meritis Regni praefectus ut esset  
Scilicet hac turpi prodicione fuit.*





Grittus hic è Graia Byzanti pellice natus  
A Solymo ingenti cultus amore fuit,  
Quòd mercaretur pretiosas undique gemmas,  
Illi se gratum redderet inde quibus.  
Hoc dum successu felici effertur, ab alto  
Culmine Fortuna deyciente ruit.



AFONSVS FERRARIÆ PRINCEPS.



Ceu Dux magnanimus bello, sic optimus idem  
 Alfonso Princeps tempore pacis erat,  
 Subdita cognouit quod gens, quam fortibus armis  
 Tres contra Sanctos asserit ipse Patres,  
 Disycit & Venetum classem, cogitq; feroces  
 Cum Mahometigenos de riere terga greges.

HIPPO-



HIPPOLYTUS MEDICES CARD.



In sacrum adscitus fuit à Clemente Senatuum  
Hippolytus, spreuit quod tamen ipse decus,  
Cum magis venatu delectaretur & armis,  
Harmonicos illi ferret & ante sonos.  
Sed qui Musarum studijs ac arte celebres  
Insigni, magno fouit amore viros.



FRANCISCVS SFORTIA II. ME  
diolanensium princeps.



*Iactatum varijs Franciscum fluctibus vrsit  
Sors illum vitæ tempus ad omne sua  
Namque modo bellis ciuilibus ipse peritus  
Et modò Gallorum seditione fuit,  
Ac licet insignes gestis meruisset honores,  
Exhibita est factis gratia nulla suis.*



X BASILIVS MOSCOVIÆ  
princeps.



Grandia quæ dederit rapta hostibus ille trophæa  
Moscouius princeps, dicere nulla queas.  
Nam sua Legatis committens bella remansit  
Ad patrios, tutus posset ut esse, focos,  
In quos cum rueret tandem violentior hostis,  
Se cumulo fœni condidit ipse massa.



ANTONIVS LEVA HISP.



Quod non bella manu sola expediantur & armis,  
 Sed mage consilij pondere, Leua docer,  
 Qui cunctis toto labefactus corpore membris,  
 Quem indignis torsit dira podagra modis,  
 Insignes meruit nihilominus ipse triumphas  
 Et fugiat nigros ut sua fama rogos.



ALEXANDER MEDICES FLO.  
rentiæ princeps.



Capta ubi Romano Florentia Casare victas  
Illius ad vultus tenderet agra manus,  
Hic Ducis conregit fastigia, praesit ut illi,  
Et gerat illius sceptrum deinde soli,  
Sed miser agnati dextra con fossus, ut altum  
In thalamo fertit, nocte silente, fuit.



FRANCISCVS FELTRIVS VR.  
binatium princeps.



*Feltrius hic ille est, qui ferro in pectus adactō  
Franciscum letho misit Alidosium,  
Vnde ipsum patrijs decimus Leoreppulit oris,  
A quibus abstinuit non tamen ipse diu,  
Sed mox pontificum collecto milite turmas  
Dissipat, & Venetūm militia inde praest.*



ALFONSVS DAVALVS  
Vastius.



*Magno animo, largaq; manu secli illius omnes  
Vincebat princeps Vastius ille Duces:  
Sig; aliquos hostes caperet Mauortibus armis,  
Clementi erga illos sic erat ingenio,  
Vt miseros non esse diu pateretur & arctos,  
Sed veniam innata pro pietate daret.*



HENRICVS VII. ANGLIÆ REX.



Principio regni se talem hic præsinit Anglus,  
Ut regem, cura cui sua terra, decet,  
Postea criminibus se polluit ipse nefandis,  
Vxores binas namq; secure ferit,  
Et templisq; sacris vasa aufert, qua omnia constat,  
Emeritos proceres pro lubituq; necat.

H O R V C.



EM HORVCCIUS PIRATA  
Turcicus.



Hi pradas egere duo vasto equore fratres  
Usque adeo, regni culmen ut attigerint.  
Sed quia terrestri magis hic certamine sortem  
Expertus fidam propitiamq, fuit,  
Bella deinde soli campis confecit apertis,  
Quis illi Mauors dexter & aquus erat.



HARIADENVVS PIRATA  
Turcicus.



Quòd se exerceret pugnis naualibus ille,  
Amiffa in bello dextera, causa fuit.  
Et qui a promeruit multos cum laude triumphos,  
Rettulit & forti parta trophæa manu,  
Præfèctum Solymanus cum maris inde creauit,  
Et Bassa emerito nomen habere dedit.



ANDREAS GRITTVS VENE-  
torum princeps.



*Adverse Grittus fortuna expertus in armis  
Sæpe fuit, varias sustinuitq. vices,  
Vt modò captiuus Gallorum abductus in oras,  
Cum grege nunc fuerit pulsus ab hoste suo,  
Hinc sese ad placida conuertens munia pacis,  
Dux Venetùm excelsò præfuit Imperio.*



IACOBVS V. SCOTIÆ REX.



Quattuor huius erant Reges qui nominis, omen  
Experti mortis triste fuere sua,  
Quo fato hic etiam cecidit Rex ordine quintus,  
Cum biberet dira mixta venena manu.  
Excellentis equidem princeps, si fata dedissent,  
Qui longeq, suos exuperasset auos.

VINCEN



VINCENTIVS CAPELLIVS  
Venetæ classis præfectus.



Et grauis & fortis Vincentius ille senator  
Hadriaca multos floruit vrbe dies.  
Et quia militiae fuit arte peritior eius,  
Quæ vasto geritur veliuoloq; mari:  
Præfectus classis magna est cum laude creatus,  
Officio fecit cui satis ipse suo.



CAROLVS AVRELIANVS  
Francisci Regis filius.



*Infans è sacro baptismi fonte leuatus  
Hic fuit à missis Carolus Heluetijs,  
Immortale decus lauri victricibus armis  
Qui bellis meruit Belgica terra tuis,  
Caesar vt Insubrum fascies concederet ipsi,  
Sponderet gnatam connubioq, suam.*



S V A S I V D A V S



Hic oculo captus dextro fortissimus heros  
 Multa solo fecit praelia plura salo,  
 Astrorum & cursus tempestatumq; peritus  
 Sic, illa ut nulli cederet arte, fuit,  
 Qua motus Solymanus eum prouexit, ut esset  
 Et Rubri princeps Ionijq; maris.



FRANCISCVS I. GALLIÆ REX.



*Ceufacie Franciscus erat membrisq; decorus,  
Sollerte excellens sic quoque mente fuit,  
Vt pulchro hospitio latiraret pulchrior hospes,  
Cuius ope & valida reppulit ipse manu  
Insubres, Belgas, Alpinæq; agmina gentis,  
Nec paruo Aonias fouit amore D E A S.*

FERDI.



FERDINANDVS CORTESIUS  
Hispanus.



*Alciden prisco commendat Gracia fastis,  
Viderit extremas quòd patulo orbe plagas,  
Subdideritq; sibi multas. Cortesius illi  
Hanc laudem longè præripit atque decus,  
Qui maris ignotæ plus & telluris obiuit  
Hercule, ut obuersos vicerit Antipodas.*



SIGISMUNDVS POLO-  
niae Rex. CHRISTIANISSIMO



Marte Sigismundus felici contudit hostes  
Liuones, Moscos, Teutonas atque Scythas,  
Præcipuè verò medijs excedere castris  
Vrsit Moldauie non sine clade Ducem  
Vulneribus laesum multis, tormenta metusq;  
Linquentem posset quò dare terga fugæ.

D AVID



DAVID MAXIMVS ABYSSI-  
norum Aethiopum Rex.



*Aethiopum populis media sub sydere Libra  
Hic princeps leges iurâque sancta dabat,  
Tempore quo Caesar non visas repperit oras.  
Imperiumq; alio dum parat orbe sibi.  
Egregius equidem Rex, qui patriaq; reliquis  
Ingentem luctum mortuus atque suis.*



MVLEASSES TVNETI REX.



E patrijs Regem Solymannus expulit oris  
 Tuneti, offertur cuius imago tibi,  
 Carolus aſt regno max ipſum reddit arcto,  
 Quo tamen haud manſit tuus honore diu.  
 Nam gnati ruruſus, generi quòd dedecus eſſet,  
 Caſſum oculis multant turpiter exilio.



PYRRHVS STIPICIANVS.



*Gratia si nulla est cui Manortibus ausis,  
Fraude rapi miles premia iure dolet,  
Pyrrhus id experius nimis est, licet acribus armis  
Consilijs multum profueritq. suis,  
Mærorem hoc ipsi tantum tulit, eger ut illo  
Sublatus vitam liquerit ante diem.*



CAROLVS V. IMPERATOR.



Non maior princeps Augusti à tempore vixit,  
Imperio Caesar nec fuit Arifonio,  
Qui meruit plures tanta virtute triumphos,  
Seu terra gereret prelia, siue mari,  
Carolus Imperij quàm Caesar nomine quintus,  
Quod nouit gemino subdita terra polo.



FERDINANDVS REX ROM.



*Carolus Imperij defessus mole resignat,  
Ut placida possit nempe quiete frui,  
Fernando augustos fasces, qui suscipit illos,  
Quàmq. potest miti pace subinde fouet,  
Omnia consilio prius & meditatatur, ad arma  
Quàm se imprudenti conferat arbitrio.*



HENRICVS II. GALLIÆ REX.



Francisci Henricus calcans vestigia patris  
Virtute antiquos exuperabat auos.  
Quàm fuerit prestans animo, quàm vindice dextra,  
Experta est damno Belgica terra suo,  
Atque alia tandem cum se certamine equestri  
Exercet nimium, tempora laesus obit.



CHRISTIANVS DACIÆ REX.



*Nobilibus Regni infestus sic ille ministris  
Danus erat patrijs tamq̃, nocebat agris,  
Ut conspirantes regali sede mouerent,  
Mox alium ipsius sufficerentq̃, loco,  
Clausus ubi vitam clatrato in carcere finit,  
Euentus tales nempè Tyrannis habet.*




SOLYMANNVS TVRCARVM  
Imperator.



*Strenua laudari Virtus vel in hoste meretur,  
Euenit hic etiam quod Solymanne tibi,  
Qui magna aggressus vi Budam vincis & Albam  
Pannonias arces indomitamq; Rhodum.  
Cogeris Austriacam, sed turpiter, ante Viennam  
Cedere, quae Carlo vindice tuta fuit.*



ANDREAS AVRIA CLAS-  
sis præfectus.



*Aeolios qua quis possit contemnere ventos  
Et maris irati qua queat arte minas,  
Auria monstravit prædones aquore vasto  
Perpeffus nulla qui ratione fuit:  
Qui patriamq; diu concussam turbine belli  
Afferuit paci restituitq; sua.*



TAMMAS SOPHI PERSA  
rum Rex.



*Retulit ingentes Tamas hoc nomine laudes,  
Fratrum esset pressus quòd licet inuidia,  
Nil tamen insultus horum curavit & iras,  
Sed Turcas dextra vindice contuderit,  
Sanguine ut illorum riuos tepescerit agros,  
In turpem fractos reppuleritq. fugam.*



MVLEAMETHES COGNOMEN  
to Scyriſſus Magnus Rex Mauritaniae.



Corporis egregia non ſit licet ille figura  
Praditus, & facie non elegante quidem,  
Aſt animi donis adeo præcelluit, ipſi  
Hannibali ut meritis æquivalere queat,  
Prælia ſi ſpectes, ſed & Aonias quoque Muſas  
Et doctos magno fouit amore viros.



COSMVS MEDICES FLOREN-  
tinorum princeps.



*Non aquile imbelles vnquam genuere columbas,  
Sed nasci fortes fortibus vsque liquet,  
Sic etiam Cosmum praestante heroe creari.  
Par qui illi vita dexteritate foret,  
Fas fuit. & placida regeret qui pace clientes,  
Pierides larga qui coleretq; manu.*

C. A. B. R. I.



THOMAS HAVARDVS NOR-  
foltius Dux.



*Præstitit obsequium Regi Norfoltius omne,  
Gratia cui tandem nulla relata fuit.  
Quid? quod in opprobrium ferus illiusq; dolorem  
Et fratri & natae cadere colla iubet?  
Carceribus verò clausum constringit ahenis  
Hunc vinculis, vitæ tempus in omne sua.*



FERDINANDVS TOLETANVS  
Dux Albanus.



*Illustres Albane Duces quod prodis, & illos  
Præter fas tradi supplicio inde iubes,  
Qui commendarit, pectus gerit iste lupinum,  
Et quod sincera nil probitatis habet.  
Quam benè seruiers liquet hinc, quod ciuibus vrbes.  
Tu viduans ipsas perdideris q̄ plagas.*



NICOLAUS CAPONIUS VE-  
xillifer Florentinus.



*Florentinorum peragrat dum Carolus oras,  
Insultat varijs turgidus hisq; dolis,  
Pectore se infracto opponit Caponius illi,  
Et confidenti talia voce refert:  
Si tua mandaris tuba concinat arma, iubebo  
Campano ciues are cedere meos.*



B A S I L E A E

Ex Officina Petri Pernæ, sumptibus communi-  
bus cum D. Henrico Petri.

A N N O.

C I D I D L X X V I I .

Mense Martio .:





CABRINVS FONDVLIVS TY-  
rannus Cremonensis.



*Insubrum primus Dux postquam est morte solutus,  
Distribuunt eius mox sibi regna duces,  
Cabrinus potitur Fondulius vrbe Cremona,  
Erepta gnatis principis iste sui,  
Dux equidem insignis, si non iniurius isto  
Crimine fœdasset seq̄, suumq̄ genus.*



V S V M C A S S A N E S R E X  
Perfarum.



*Quod Rex Perfarum tot regna subegerat orbis,  
Subdideratq. suo fortiter illa iugo,  
Inuidet hoc ipsi Mahometes Turca secundus,  
Atque ipsum contra percitus arma gerit,  
Tormentisq. acies sic eius dissipat omnes,  
Et vix elabi quiverit inde fuga.*



